



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

Auxilium in Purgatorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

ingredere in vulnera mea, nam in his felicitas tua unica consistit.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi

Auxilium animarum Purgatorij.

*Francisc.
Zach. To. 2.
Hist. Soc.
Iesu.*

R P. N. Iacobus Laines, secundus Generalis Societatis Iesu sub vitæ suæ finem, quidquid ad familiam sibi à Deo commissam, vel tuendam, vel promovendam, ubique terrarum facere posset, attentè circumspiciens, impensè per litteras quædam rerum capita commendavit; inter quæ hoc in primis erat, ut quotidie quamque frequentissimè animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, studiosè omnes meminissent. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, occupationibus tam multis, sive litterarijs, sive spiritualibus, eo dumtaxat consilio, ut homines, ad æternam felicitatem consequendam juvet, quem ad finem creati, pretioq; tam grandi redempti sunt; consentaneum

neum profectò esse, ut eundem prosequentes
 charitatis spiritum, etiam ex hac vita di-
 gressis, ad cursum conficiendum opitulentur,
 ne justa sit illis causa Societatis charitatem,
 quasi imperfectam, & mancarn accusandi, &
 meritò liceat conqueri, se medio in itinere,
 eoq; in loco destitutos, ubi nullam omnino
 sibi ipsis opem queant adferre. Idem ipsum
 B. Franciscus Borgia, post alterum Ge-
 neralis III. suis vehementer commen-
 datum cupiebat.

Si igitur ea nobis etiam est cura, ut
 clavis, & clavibus sacrorum Domini
 Iesu vulnerum, cœlum vivis resere-
 mus, potiori sanè jure idem vitâ fun-
 dis commiserationis, & caritatis obse-
 quium præstare nos oportet. Refert Lib. 5. c. 10.
 Grat. Spir.
 sancta Mechtildis sibi à Salvatore re-
 velatum esse, quotiescunque honori
 sacrorum suorum vulnerum quinquies
 oratio Dominica, & salutatio Angeli-
 ca recitantur in subsidium purgantium
 animarum, eas mirè recreari, licet pœ-
 nis suis non continuò eximantur. San-
 cta Gertrudis non unam animam cœlo
 transmisit, postquam eâdem prece,
 O 5 Domini

P. 3. tit. 24.
c. 8. §. 15.

Domini vulnera salutasset, & deosculata fuisset. Refert S. Antoninus observatum non rarò fuisse, B. Joannem de Alvernia, Ordinis FF. Minorum, vulnere Salvatoris cultu, tot animas è Purgatorii flammis solvisse, quot ab ingenti igne vehementer agitato in aërem evolant scintillæ.

In vita.

Matrona pia in primis, Beatæ Liduwinæ Virgini Hollandæ, ex oppido Schidamo, per familiaris, cùm ei diceret, si salutis suæ certa foret, se ignibus purgatoriis, tot cupere annis cruciari, quot in vicino vase sinapis grana continerentur. Non rectè, inquit Liduwina, sapias, ac loqueris dilecta, neque satis cruciatibus Salvatoris tui, ac sacris ejus vulneribus confidis, quæ potentissima remedia sunt, ut te, atque alios à purgatorii igne liberes. Vivere illa desinit; ac dein magno ploratu sociæ Liduwinæ apparens, suamque diffidentiam accusans, orat, obsecratque ut meritis sacrorum Domini vulnerum è tormentis ineffabilibus eximatur, quod Liduwina præstitit, cœlumque exemptæ

emptæ flammis animæ aperuit.

B. Henricus Suso, de quo paulò ante, Colonia Agrippinæ studiis operam dabat, quibus decursis, abitum parans, cum altero ejusdem ordinis Religioso, sibi ob probitatem devincto, pactum iniit, ut qui ipsorum, alteri superstes viveret, pro defuncto, quot hebdomadis, anno integro, diebus Lunæ Deo Missæ sacrificium offerret quod pro mortuis legi solet; diebus autem Veneris, quod de passione Domini. Moritur post annos plures ille Susoni familiaris, quod ubi hic intellexit, orationibus variis, ac piis operibus amici animam Deo commendat. Comparet tandem defunctus; conqueritur de fide sibi non servatâ, ignibusque purgantibus vehementer eam ob causam se cruciari. Ait Suso, ex quo de illius obitu certior factus esset, non destitisse se animam ejus Deo impensè commendare. Sanguinem, sanguinem clamabat defunctus, sanguinem posco. Vbi Missæ sacrificia mihi promissa, & pacto firmata? quæ passionis, ac vul-
nerum

*Alexis de
Salo de
Purg. p. 20*

c. 90

nerum Domini meritis, præsentissima purgantibus animabus sunt auxilia. Damnavit Suso oblivionem suam, & promissa sacrificia persolvere cœpit, sociumque suppliciis exemit. Sanguinem, sanguinem, flagitant à nobis defuncti, quem in sacra generali, & quacunque corporis Domini Communione, in sacrosancto Missæ sacrificio, quod vel de Defunctis, vel de Passione Domini, vel de immaculata Deiparæ Conceptione, more Hispanico, legitur, vel novæ hujus coronæ usu, illis haurire possumus, purgatoriis flammis extinguendis efficacissimum.

*Vulnera*